

Christi misericordia et beatissimi Adalberti gratia curati filios novimus et nepotes.

(2). Aliud^a. Quid^b autem ad sanctissimi patroni nostri laudem auditu aliena querimus, cum propria visu et tactu sufficiant, quibus Christi gloria laboremus? Notandum^c itaque in verbo veritatis et sacerdotii, quod ego utnunc Egmundensis monachus et quondam in Brederode^{d.1} capellanus, quodam tempore dicto loco magnis infirmitatibus maximisque cum paralisi febribus videor affici et utriusque cruris^e auxilio a summitate femorum usque ad infima desolari. Sola nanque longitudo ossium pelle tegitur, pulpa vero cum carnibus per omnia devoratur. Tanta autem erat debilitatis infirmitas vel debilitas infirmitatis, ut prius caput gladio abscindere permetterem quam pedum aliquem a terra vel minimum elevarem. Verum sicut sanum corpus suo modo pedibus geritur, sic et mei pedes de loco ad locum propriis manibus transponuntur. Cum itaque multo tempore tali afflictione in lecto iacerem, medicorum consolatione deficerem, quorum quibusdam vita promittitur, sanitas vero ab omnibus denegatur, ego iuventutem meam considerans et statum uttunc corporis corde pertractans, optavi magis mori quam vivere et longa infirmitatis tedia brevi mortis aculeo terminare. Cum autem talia sepius mente volverem et nocte quadam supra modum lacrimas funderem, incepti ad Deum eiusque sanctos varias pro consolatione preces tradere, sed sanctissimi Adalberti suffragium specialiter invocare, protestans sibi quodammodo, ut, si ipsius adiutorio possem sanitatem recipere, vellem utique^f mundum deserere et sibi quoad viverem in statu monastico deservire. Cum itaque cordis tristitia dicta volveret et me soporis amenitas modicum occuparet, ecce! die crastina lucescente et hora quasi tertia veniente², peregrinus quidam et ignotus mee paupertatis tabernaculo intromit-

a) In kleiner Schrift am Rande, wohl für den Miniator bestimmt, der die Ueberschrift nicht ausgeführt hat. b) 'Auid' durch Versehen des Miniators. c) 'Nos' Hs.; vgl. oben Kap. 1. d) 'Bre | rode' Hs. beim Uebergang von einer Zeile zur anderen. e) Aus 'crucis' verbessert. f) 'utque' verbessert in 'uti' Hs.

1) Die Reste der Burg Brederode, nach der sich eines der bedeutendsten Geschlechter Hollands nannte, liegen in der Gemeinde Velzen in Nordholland, nördlich von Haarlem; vgl. P. H. Witkamp's Aardrijkskundig woordenboek van Nederland, Neue Ausgabe von M. A. Sipman, (1895), S. 123. 2) Vgl. Wilhelms Chronik a. 1322 (a. a. O. S. 106): 'donec — — dies crastina presentatur. Qua lucescente necnon hora dictis congrua veniente'.